



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Dioecesana Synodus Osnaburgensis Decima, Sub Reverendissimo &
Illustrissimo Principe ac Domino, D. Francisco Gvilielmo, Episcopo
Osnaburgensi, Ratisbonensi, Mindensi, Ac Verdensi, ... Celebrata ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

DIOECESANA SYNODVS
OSNABRVGENSIS

DECIMA,

Sub Reverendissimo & Illustrissimo Principe
ac Domino,

D. FRANCISCO
GVILIELMO,

EPISCOPO OSNABRVGENSI,
RATISBONENSI, MINDENSI,
AC VERDENSI,

S. Romani Imperii Principe, Comite de Wartenberg
& Schauwburg, Domino in Wald & Hachenburg,

CELEBRATA OSNABRVGI

Anno Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio,
Feriâ tertiâ post Remigii, quæ erat dies septima
mensis Octobris;

PRÆSENTIBVS,

nomine altememoratæ Illustrissimæ Suæ Celsitudinis,

Admodum Reverendis Prænobilibus & Doctissimo
Dominis

JOANNE A LEERADT,

ET

JOANNE OTTONE A DORGELO,

Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis respectivè Præposito,
Subseniore, Capellano Episcopali Illustrissimæ Suæ
Celsitudinis in Schledehausen,

NEC NON

JOANNE BISCHOPINCK, I. V. L.

Curia Ecclesiasticæ Osnabrugensis Officiali & insignis
Collegiæ Ecclesiæ ad S. Ioannem ibidem
Canonico.

OR-

DIOECESANA SYNOBUS

OSNABRUGENSIS

DECIMA

Sub Reverendissimo Illustri ac
Reverendissimo

FRANCISCO
OVILLIUM

FRANCISCO OSNABRUGENSIS
CATHEDONALIS, M. D. C. C. C. C.

2. Romani Imperii Princeps, Comes de Welfen
et Ravensberg, etc. etc. etc.

GENERALES OSNABRUGENSIS

Anno Millemo sexcentesimo septuagesimo
septimo, die mensis Junii, quatuordecima

TRIGESIMA TERCE

resinae auctoritate Illustrissimi et
Reverendissimi

JOHANNES A LERRADT

JOHANNES OTTON A DORSTEL

Orthodoxae Ecclesiae Osnabrugensis rector, Inspector
Subsistor, etc. etc. etc.

RECTOR

JOHANNES BISHOPINCKEL

Quae Ecclesiae Osnabrugensis Cantus et
Cantoris, etc. etc. etc.

OR



O R D O E T C Æ R I M O N I Æ
S Y N O D I,

Celebratæ in absentia

Illustrissimæ & Reverendissimæ Suae Celsitudinis,

VII Octobris, M D C LIII.



Ridie, & ante Synodum, omnia observata sunt, ut in Synodo Illustrissimæ Suae Celsitudinis vernali præcedente, celebratâ XVIII Martii labentis hujus anni; Deputari eodem modo excepti & deducti; D. Abbas Ibur-

gensis in Pontificalibus eadem exercuit; & sub solenni Sacro omnes, uno alterove excepto, publicè Sacram Communionem sumpserunt.

Post processionem ad locum consuetum, omnibus confidentibus, peractisque ceremoniis ex Pontificali, prælecta fuit Commissio Suae Celsitudinis, sequentis tenoris.

FRANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Onabrugenſis, &c. Venerabilibus, Nobilibus, atque Honorabili & Doctissimo, devotis, sincerè Nobis in Christo dilectis, & fideli, *Joanni à Leerardt, Joanni Ottoni à Dorgelo, & Joanni Bischofſinck*, Cathedralis Noſtræ Eccleſiæ Onabrugenſis reſpectivè Præpoſito, Subſeniori, & Officiali Curiæ Noſtræ Episcopalis ibidem, Salutem in Domino.

Venerabiles, Nobiles, Honorabilis & Doctissime, devoti, sincere Nobis in Christo dilecti, & fidelis. Cum per Noſtræ graviffimæ ſollicitudinis publicas occupationes, & Sacri Romani Imperii Comitia, quibus adhucdum intendere debemus, impediamur; quo minus futuræ Synodo, quæ in Civitate Noſtra Onabrugenſi, Feriâ tertiâ poſt Remigii, quæ incidit in diem ſeptimam menſis Octobris, ex laudabili Majorum Noſtrorum & Prædeceſſorum Episcoporum Decretis celebrabitur, pro hac vice perſonaliter intereſſe & præſidere non poſſimus: Nos vobis, de quorum prudentia, zelo, pietate, & legalitate ſingulari & antehac probatam gerimus fiduciam, præſentium tenore conjunctim & diviſim in Domino committimus, ut dictæ Synodo, nomine Noſtro, præſideatis, & Synodales hæc Conſtitutiones, quas vobis tranſmittimus de novo inculcandas, aliæque neceſſaria promulgari curetis, ac ad earum tandem obſervantiam Clerum Dioceſis Noſtræ Onabrugenſis

admoneatis, &, quicquid in dictâ Synodo perſonaliter agere poſſemus, Noſtro nomine peragatis; inſuper etiam illius Synodi Acta, & præſentium ac abſentium nomina, ad Nos in ſcripto referatis. Ut etiam faciorem ſinguli Parochi, per Dioceſin hanc Noſtram, harum Conſtitutionum Noſtrarum ſeriem commodius obſervare valeant, idcirco Officiali Noſtro ſpecialiter demandamus, ut omnibus ac ſingulis Decanis tam Cathedralis & Collegiatarum, quàm Ruralibus, & Monafteriorum Prælatiſ, copiam horum Decretorum Synodaliſ, quoad typis edantur, committet; ut in proxima viſitatione de eorundem obſervantia aut negligentia penitus conſtare poſſit, nec quiſpiam ſeſe excuſare valeat, quod ſufficienter intimata aut publicata non ſint. Hæc eſt ſeria voluntas Noſtra, manu & ſigillo Noſtris roborata. Valet in Domino. Datum ex Reſidentia Noſtra Episcopali, Ratiſbonæ, die XXII Septembris, anno M D C LIII, Episcopatum Noſtrorum, Onabrugenſis vigefimo octavo, Ratiſbonenſis quinto, Mindenſis & Verdenſis vigefimo quarto.



Prælectâ hac Commiſſione, incepta eſt Synodus; nominati Promotores, Secretarius, & Actuarius, iidem qui antehac.

Exinde, Notarius Synodi prælegit catalogum omnium eorum qui de jure vel conſuetudine huic Synodo intereſſe tenentur; non omiſſis iis qui ob alienam religionem modo non comparent; pro iſque reſponderunt illi Catholici vicini Paſtores, quorum cura illius diſtrictus Catholicorum anima, in defectum propriorum Parochorum, commiſſa ſunt; notatiſque abſentes.

Abſentium contumaciam accuſavit Promotor more ſolito; ſed ſuſpenſa mulcta uſque ad declarationem Suae Celsitudinis. Subſecuta fuit Conſilio Synodaliſ, quam Paſtor in Baurbergen & Decanus Chriſtianitatiſ in Ferſtenauw, Pater Nicolaus Schaten Societatiſ Jeſu, ex commiſſione, aptè & eleganter peroravit.

Poſt hanc Dominus Chriſtianus Brockman, Paſtor in Wahlenhorſt, uti Secretarius, loco Domini Comadi Burenii Paſtoris, prælegit Decreta, imprimis generalia, deinde ſpecialia, ab Illuſtriſſi-

strissima Sua Celsitudine transmissa, (de quorum transmissione ipsamet Commissio mentionem fecit) paucis tamen Dominus Officialis Clerum de eorundem observantia praeemonuit, & de consensu D.D. Deputatorum, publicanda porrexit.

Ad Decretum sextum generale de professione fidei, eam, simulque iuramentum Pastorale emisit Leopoldus Dunwaldt, noviter institutus Pastor in Gesmold. Iuramentum Pastorum, ad Sanctum Vitum & in Glaen constituendorum, reservatum fuit ad proximam Synodum, cum debite nondum praesentati, nec approbati fuerint. Declaratum praeterea, vacare Pastoratum Laicem in Embslandia per liberam resignationem Paris Gabrielis Manniholt, Conventualis S. Francisci. Praeterea emisit iuramentum consuetum P. Arnoldus

Langenberg, Ordinis S. Benedicti, Pastor in Iburg, & Lector Philosophiae Monasterii Iburgensis, quam noviter à Sua Celsitudine constitutus Decanus Christianitatis illius districtus.

Ad Decretum octavum generale, facta fuit commemoratio animarum, quondam Hermannii Wilagens, Decani Collegiatae Ecclesiae S. Alexandri in Wildeshausen; Conradi Rastrups, quondam Vicarii Cathedralis Ecclesiae; item Davidis Bernings, Vicarii Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis; hoc semestri pie defunctorum, commendata quoque fuit anima, non quidem naturaliter, sed civiliter defuncti, Hermannii Rosings, qui, in reprobum sensum datus, à fide & religione apostatavit; ut eam Deus ad gremium orthodoxae Ecclesiae reducere dignetur.

S E Q V V N T V R D E C R E T A S Y N O D A L I A S P E C I A L I A,

Ex mandato Reverendissimi & Illustrissimi Domini Episcopi Osnabrugensis, &c. Domini FRANCISCI GVILIELMI, die VII mensis Octobris, anno M D C LIII, Osnaburgi, in Synodo Autumnali, publicata.

I N G R E S S V S D E C R E T O R V M.

QVandoquidem in nupera Visitatione, per Diocesim hanc Nostram Osnabrugensem, hoc anno quinquagesimo tertio, per Commissarios Nostro nomine facta, diversos adhucdum abusus ac defectus, nec non Statutorum Nostrorum Synodaliū praeviationes apud nonnullos, proh dolor, comperimus: hinc sequentia Decreta, ex sollicitudine Nostra Episcopali, denuo inculcanda duximus, & observanda, sub comminatione respectivè poenarum & Ecclesiasticarum censurarum, etiam in inobedientes ferendarum, seriò ac ultimò demandamus.

D E C R E T V M I.

Nvllus Sacramentum Baptismi, extra casum necessitatis sine licentia, in privatis aedibus administret, Matrimonio assistat, aut in Capella seu loco consecrato, vel ab Episcopo non benedicto aut concessio, sine expressa Nostra, vel Vicarii Nostri in spiritualibus Generalis licentia, celebret.

D E C R E T V M II.

IN collatione Sacramenti Baptismi nemo plures quam duos Patrinus admittat; reliquos, uti testes, libro solummodo inscribat. Infantibus item nulla nomina, praeterquam Sanctorum, in Embslandia praesertim, imponantur.

D E C R E T V M III.

Svbcellia, in templis noviter erigenda, ita exstruantur, ut in iis genu flecti possit; nec prospectum ad Altare summum impediunt, aut lateralibus nimis vicina sint.

D E C R E T V M IV.

Vbi redditus fabricae pro necessariis Ecclesiae sumptibus non sufficiunt, bono modo, & cum praescripto Magistratus aut Communitatis loci, parochiani ad succurrendum permoveantur: quod si restiterint, Nobis pro congruo remedio, deferantur.

D E C R E T V M V.

Festa & Abstinentiae per annum, tam in civitate quam ruri, accuratius juxta Calend-

lendarium Nostrum Osnabrugense observentur; & Archidiaconi locorum in prævaricatores quoscumque seriò animadvertant.

DECRETVM VI.

IN Processionibus ordo, in Agenda præscriptus, diligenter seruetur, abrogatis omnibus vanis, ludicris, superstitiosis, & maxime equitationibus cum Venerabili Sacramento, aliisque abusibus.

DECRETVM VII.

DEcani rurales intra XIV dies Consistorio Nostrò mittens numerum Synodorum, Ritualium seu Agendarum, Proprii Sanctorum, & librorum Missalium Diocesis Osnabrugensis, quos singuli Pastores, juxta Decretum in ultima Synodo desuper emanatum, remissis antiquioribus & abrogatis, sibi compararunt.

DECRETVM VIII.

Sedes confessionales, in omnibus Ecclesiis, in loco patenti erigantur.

DECRETVM IX.

Lampades & lumen perpetuum, ubi fieri potest, ante augustissimum Eucharistiæ Sacramentum procuretur.

DECRETVM X.

Sacramentum Extremæ unctionis non, uti hæctenus à plurimis Pastoribus factum, posthac negligatur, sed ejusdem usum denudò pro salute animarum introducere allaborent.

DECRETVM XI.

Catechismus, rōties à Nobis inculcatus, & promovendæ fidei Catholicæ maxime necessarius, sub pœna arbitraria singulis diebus Dominicis, etiam si pauci tantum compareant, nunquam intermittatur.

DECRETVM XII.

Scholæ in omnibus locis Catholicis instituantur; & privatae in Burschapiis, Embslandiæ præsertim, quæ hæctenus irrepere, severe prohibeantur; aut, ubi ob inundationes aut locorum distantiam erigi debent, accuratius iisdem per Pastores invigiletur; & ad Nos referantur.

DECRETVM XIII.

Nemo Pastorum in Ecclesiis ac Synodis sine bireto, ac toga talari, sub pœna duorum florenorum Rhenensium posthac compareat.

DECRETVM XIV.

Ædes in Cœmeteriis & Immunitate, collapsæ, non reedificentur.

DECRETVM XV.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum decentius & augustius in Sacratio, sufficienter ad hoc exornato, asservetur.

DECRETVM XVI.

IN celebratione divinorum Officiorum, majorem quoque in ministris attentionem, devotionem, ædificationem, & frequentiam requirimus; cum maledictioni divinæ subjiciantur, qui Officium Dei faciunt negligenter: uti & majorem tarditatem in cantu; cujus melodiæ dignitas, gravitas & splendor, ac devotio, potissimum in tarditate & pausatione consistit, eumque gratiorem & suaviorem reddit audientibus.

DECRETVM XVII.

Cum, vigore Concilii Tridentini, & juxta Cardinalium Declarationes, tanta sit obligatio celebrandi vel præstandi Missas, in fundatione & erectione beneficiorum imposita, ut in iis moderandis, reducendis vel commutandis, solus Pontifex sibi potestatem reserverit; constet verò per experientiam, quam plurimos beneficiorum possessores, in hac Nostra civitate præsertim, quibus ex ipsa fundatione certarum Missarum, singulis septimanis vel diebus præstandarum, onera incumbunt, minimè ea præstare, adeoque contra fundatores, sese injustos & crudeles exhibendo, gravissime peccent, ac simul in conscientia ad restitutionem teneantur, nisi dispensationem obtinuerint, prout in Nostris Synodis sæpius declaravimus: hinc omnibus Vicariis, Capellanis, & Beneficiatis, cæterisque hujusmodi Missarum obligationibus gravatis, severissime mandamus, ut, salutis suæ magis memores, numerum à fundatoribus impositorum sacrorum statutis diebus in posterum celebrent; in dubiis, ubi fundationes forsitan non extant, aut de fundatorum voluntate non constat, ad Nos recurrant, ac remedia debita expectent.

DECRETVM XVIII.

INtolerabilem quoque abufum etiamnum continuari intelligimus, quod distributiones quotidianæ, quæ, vigore facrorum Canonum & Concilii Tridentini, nec non receptæ confuetudinis, in omnibus Ecclefiis, folis præfentibus in choro distribui deberent, abfentibus etiam, nec legitime impeditis dentur. Vnde hinc duplex malitia confequitur; una, quod portio illa, quæ abfentibus datur, præfentibus vel fabricæ Ecclefiæ, quibus de iure competit, decedat; altera, quod taliter recipientes fructus non faciant fuos, & taliter ob humanos favores conniventes & admittentes peccent, adeoque in confeientia finguli reftituere teneantur; cum illis folum abfentibus præfentiæ debeantur, quos facri Canones excufant. Quod ne poft hac fiat, feveriffime prohibemus; facillimumque huic malo remedium adhiberi poterit, fi (uti antehac fieri confuevit) præfentiæ illæ non uno tempore fimul, fed per dies quibus cedunt, in Choro præfentibus distribuantur; quod facilius hifce temporibus pacis, quam præcedentibus bellicis, fiet. Ideoque in virtute sanctæ obedientiæ, poenifque arbitrariis, omnibus & fingulis Ecclefiarum Diœceſis Noſtræ Oſnabrugeniſis Prælatiſ & Superioribus mandando præcipimus, uti, in his & fimilibus abufibus tollendis, fe vigilantiores & diligentiores, quam antehac ab illis factum eſt, exhibeant, & provideant, ac congruis mediis, & debitis poenis Eccleſiaſticis, ſuæ iurifdictioni ſubjectos inducant ac cogant, ut obligationibus ſuis juxta fundationes beneficiorum fuorum, tam in celebrando impoſito Sacrorum numero, vel procurandâ deluper diſpenſatione, quam divinatorum obſequiorum majori frequentatione, & excluſione abſentium, vel minus canonice impeditorum, à participatione quotidianarum distributionum, aliifque juxta uniuſcujuſque fundationem rite obeundis & præſtandis ſatisfaciant: ſcientes, quod ſi in his & fimilibus exceſſibus puniendis & corrigendis conniveant, diſſimulent, vel nimis remiſſi fuerint, ſeipſos horum peccatorum participes reddant, Deoque & Nobis ſtrictam de his rationem ſint reddituri.

DECRETVM XIX.

CVM aliqui ex Paſtoribus ruralibus ita ſe intra limites Parochiarum ſuarum contineant, ut nullam vicinarum A catholicarum, quoad Catholicos in illis commorantes, curam habeant, quam tamen omnibus Paſtoribus Noſtræ Diœceſis antehac, juxta certam Parochiarum A catholicarum distributionem à Nobis factam, ipſorum inſpectioni demandavimus: idcirco Paſtoraliſ Noſtræ obligationis memores, iterum ſevere præcipimus ac mandamus, ut diligentiores poſthac curam & ſollicitudinem, quoad vicinos Catholicos, in Parochiis A catholicis degentes, juxta factam ſpecificationem gerant, illiſque in Sacramentorum adminiſtratione, animarumque ſalute procuranda, & ſpiritualibus conſolationibus, ſedulo & fideliter, uti propriis ſuis Parochianis, adſtant; ſcientes, quod ſi ſecus fecerint, divinæ ultionis vindictam ac Noſtram offenſam ſe incurſuros.

DECRETVM XX.

QVæ circa concubinitus vitium, necdum, præ dolor, plene apud nonnullos extirpatum, in anterioribus Synodis diſpoſuimus, hoc loco repetimus & confirmamus; ſedulo omnibus & ſingulis præcipientes, ut funditus, hoc turpiſſimum carnis vitium, & Dei Sacerdote indigniſſimum, eradicare allaborent, & hætenus data ſcandala devitent.

DECRETVM XXI.

Commiſſarios Archidiaconorum præcepta antehac in Synodis celebrandis frugalitatis denuo commonemus; ne Parochias viſitatas gravent, & exiles sæpe Eccleſiarum redditus abſurgiant.

DECRETVM XXII.

CVM etiam ſummus Pontifex Concluſiones nonnullas hæreticæ pravitatis non ita pridem damnarit; eaſdem, in hoc cœtu & loco Synodali, debite promulgari volumus, ſicut & de facto promulgamus; ut ſequitur:

S^{mi} IN CHRISTO PATRIS

ac D. N.

D. INNOCENTII,
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ X,
CONSTITVTIO,

Qua declarantur & definiuntur quinque Proposi-
tiones in materia Fidei.

INNOCENTIUS
EPISCOPVS,

Servus Servorum Dei.

*Vniuersis Christi fidelibus salutem, &
Apostolicam Benedictionem.*

Cum occasione Impressionis
libri, cui Titulus, *Augusti-
nus Cornelii Iansenii Episcopi
Iprensis*, inter alias ejus opi-
niones orta fuerit, præsertim in Galliis
controversia super quinque ex illis,
complures Galliarum Episcopi apud
Nos institerunt, ut easdem Propositi-
ones Nobis oblatas expenderemus, ac de
unaquaque earum certam, & perspi-
cuam ferremus sententiam.

*Tenor vero præfatarum Propositio-
num est prout sequitur.*

P*rima*: Aliqua Dei præcepta homi-
nibus justis, volentibus & conanti-
bus secundum præsentem quas habent
vires, sunt impossibilia, deest quoque
illis Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda: Interiori Gratia in statu
Naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum, & demeren-
dum in statu Naturæ lapsæ non requiri-

tur in Homine libertas à necessitate,
sed sufficit libertas à Coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant
prævenientis Gratia interioris necessi-
tatem ad singulos actus, etiam ad ini-
tium fidei, & in hoc erant Hæretici,
quod vellent eam Gratiam talem esse,
cui posset Humana voluntas resistere,
vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dice-
re, Christum pro omnibus omnino ho-
minibus mortuum esse, aut sanguinem
fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas,
quæ animum nostrum assiduè pulsant,
illa inprimis cordi est, ut Ecclesia Dei,
Nobis ex Alto commissa, purgatis præ-
variarum Opinionum erroribus, tuto mi-
litare, & tanquam Navis in tranquillo
Mari, sedatis omnium tempestatum
fluctibus ac procellis, secure navigare,
& ad optatum salutis Portum pervenire
possit;

Pro rei gravitate, coram aliquibus
S. R. E. Cardinalibus, ad id specialiter
sæpius congregatis, à pluribus in Sacra
Theologia Magistris, easdem Quinque
Propositiones, ut supra, Nobis oblatas,
fecimus singillatim diligenter examina-
ri, eorumque suffragia, tum voce, tum
scripto relata, mature consideravimus,
eosdemque Magistros, variis coram No-
bis actis Congregationibus, prolixè su-

per eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis, ad Divinum implorandum Auxilium, multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per Nos sollicitè impetrata Sancti Spiritus Assistentia, tandem, Divino Numine favente, ad infra scriptam devenimus Declarationem & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta Hominibus Iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent Vires, sunt impossibilia deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & uti talem, damnamus.

Secundam: Interiori Gratia in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem, damnamus.

Tertiam: Ad merendum & demerendum in statu Naturæ lapsæ, non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem, damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia Interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam declaramus, & uti talem, damnamus.

Hi. Datarius.

G. Gualterius. P. Ciampinus.

Anno à Nativitate D. N. IESU Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. INNOCENTII Divina Providentia Papa X. Anno ejus Nono, die verò nona mensis Junii, supradicta constitutio affixa & publicata fuit in Ecclesia Lateranen. ac Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, nec non Cancellaria Apostolica valvis, ac in acie Campi Floræ per me Hieronymum Mascellam, Sanctissimi D. N. Papa Cursorem.

Pro D. Mag. Curforum P. Paulus Desiderius Curfor.

DECRE-

DECRETVM XXIII.

ET, ne quemquam vestrum Declaratio Cardinalium super interpretatione Bullæ Gregorii XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, quam hoc anno ex Vrbe Roma percepimus, latere possit; eandem simili modo promulgamus, ac ab omnibus, quorum interest, observari mandamus; ut sequitur.

EMINENTISSIMI ET R^{mi} DOMINI,

D. Franciscus Guilielmus, Episcopus Ratisbonensis, devotus Eminentiarum Vestrarum Orator, in Synodo diocesana Ratisbonensi pro felici gregis, curæ suæ commissi, gubernio, inter diversas alias Constitutiones Apostolicas, Bullam fel. record. GREGORII XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, publicari fecit. Cum autem ab aliquibus asseratur, Intentionem Conditoris fuisse, ut obligaret tantum in Italia, adeoque locum non habere in partibus ultramontanis, & non obligare Fratres Conventuales Ord. S. Francisci, quoad Sorores, Clarissas nuncupatas, & alias S. Francisci Religiosas; D. Franciscus Guilielmus supplicat Eminentiis Vestris, quatenus, ad omnem controversiæ materiam tollendam, declarare dignentur, utrum dicta Constitutio obliget vel non in Germania, etiam Conventuales, quoad Clarissas, & alias S. Francisci Religiosas.

Die 27 Maji 1653, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium, Concilii Trident. Interpretum, consult, Constitutionem GREGORII XV, de Exemplorum privilegiis, locum habere in Germania, & ubique, tam respectu Ordinis S. Francisci, quam respectu quorumcunque aliorum Ordinum.

PETRVS ALOYSIVS CARDINALIS
CARAFA, PRÆFECTVS.

Locus Sigilli.

Gratis, etiam quoad Scripturam.

DECRETVM XXIV.

Coronam clericalem, quæ à paucis Sacerdotibus hodie dum gestatur, singuli, juxta diversitatem Ordinum, majorem & minorem portent; ita tamen, ut corona Sacerdotalis Dalerum ad minus in figura circulari adæquet.

DECRETVM XXV.

Qvandoquidem plurimi in Diocesi hac Nostra, impedimentorum Matrimonii, tum dirimentium tum impedientium, ignari, sæpissime sibi invicem matrimonium promittunt; ac postmodum, re non amplius integra, ad Nos aut Officiatos Nostros pro salutari dispensationis remedio recurrunt: hinc omnes ac singuli Pastores, suos subditos, gradus consanguinitatis & affinitatis, intra quos contrahere liceat, pro concione edoceant.

Cæterum, licet corpore absentes simus, in spiritu tamen charitatis & Episcopalis sollicitudinis vobis præsentem, omnes vos hortamur, & in Domino nostro Iesu Christo rogamus, ut, quemadmodum accepistis nunc, & antehac à Nostriſ Prædecessoribus, in via Divinorum mandatorum ita strenue ambuletis, ut abundetis, & magis placeatis Deo, cujus est hæc & Nostra voluntas; eritque sanctificatio vestra; ut, cum, Deo volente, ad vos in pace reversi fuerimus, minus inveniamus quod corrigere, emendare, vel punire debeamus. Quod sincere facientes, Nobis magnam occasionem & causam lætandi, ac pro Nobis in Domino gloriandi, dabit; ac simul propriæ animarum vestrarum saluti prudenter & fructuose consulatis. Cæterum benedictionem Nostram Episcopalem vobis impertientes, &c. Dabamus in Residentia Nostra Ratisbonæ; ac, in omnium fidem, manu Nostrâ hæc subscripsimus, & sigillo Nostrò ad id consueto communiri ea fecimus.

Locus Sigilli.

FRANCISCVS GVILIELMVS.

His peractis, palam prælectæ fuerunt literæ Pastorales sequentes, quas Illustrissima Sua Celsitudo Ratisbonæ ad Clerum suum Osna-brugensem transmisit.

L I T E -

LITERÆ PASTORALES

A D

CLERVM OSNABRVGENSEM.

FRANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, &c. alligatus in Domino, omnibus vobis de Clero Nostro in Christo Iesu ad Synodum vocatis, operationem perfectam in verâ fide.

ad Coloss. 2. Fratres charissimi. Iterum, etsi corpore adhuc absens, spiritu tamen præsens vobis sum; vosque in illo sancto cœtu ibidem per hæc Meas alloquor: gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum ejus, quæ est in Christo Iesu, fidei vestræ.

ibidem.

Doleo, quod vobis corpore adesse necdum valeam: Cruciat enim, quod absque vobis, & quidem in his negotiis, versari compellor, quæ amicam spiritualem quietem & Ecclesiarum curas, si non impediunt, saltem perturbant. Id tamen meritò Me etiam solatur, quod in iis & religionis conservatio, & animarum augmentum, nec non totius Imperii Romani ac Patriæ Nostræ salus, maximam habeant partem, ut labores Mei, & instantia quotidiana, ad id unicum directa, etiam sollicitudinem Mearum Ecclesiarum promoveant, atque à Deo mercedem expectent. Sed ex vobis ipsis perpendite, Fratres & Filii dilectissimi, quid patiar Ego. Si vobis molesta est absentia Mea, nemo certè dubitet, mihi molestiorem esse. Non enim parvis est jacturæ, nec ejusdem gravaminis, Me uno carere vos, Meque vestra universitate destitui. Tot Me necesse est affici curis, quot vos estis, & ad singulos quosque vestrum dolere absentiam, timere pericula. Quod quidem & vos sentire pro Me, non ambigo. Sed Ego unus sum: Vobis ergo una, Mihi multiplex incumbit tristandi ratio, utpote pro vobis omnibus cura; præsertim ad Prælatos & Pastores, qui scilicet rationem reddere debent Deo & Mihi, de iis animabus sanguine Iesu Christi redemptis, quibus præsumunt.

Bernard. epist. 143.

Vnde ad illos præcipuè hæc Nostra convertit oratio. Utinam igitur illi diligenter legerent, attente audirent, necnon fructuose ac sollicitè considerarent & intelligerent parabolam, à Christo Domino propositam. Intellectus certe esset bonus omnibus facientibus ea. Speculum planè Sacerdotum est ac esse debet vestrum sanctum Christi Evangelium, in quo magis auditu, quam visu potestis attendere, quid deceat, quid dedecet; quid impediat, quid expediat; quid ex debito vestri of-

Joan. 10.

ficii vobis incumbat. Considerate ergo non vultum nativitatibus vestræ, sed statum quotidianæ conversationis pensate; & nolite abire negligendo; minus statim obliviscamini quales fueritis, & quales sitis; sed stetis, diligentius investigando quotidie, & perscrutatis medullitis conscientiarum vestrarum, in testimoniis eorum aut gloriemini aut terreamini. Nam, sicut multis gloria, ita multis est ignominia testimonium conscientiarum suarum. Speculum itaque nobis proponitur excellens à Pastore pastorum, dum sub numero trium personarum includit multitudinem universam Prælatorum. Proponit enim, bonum pastorem, mercenarium, & furem. Si boni pastores sumus, gaudeamus; quia merces nostra copiosa est in cœlis. Si mercenarius quis sit ex vobis, timeat; quia periculum illius magnum est in terris. Si fures inter vos sint, ingemiscite; quia locus vobis magnus est in pœnis, nisi vos præparaveritis ad poenitentiam, & quæ voluistis Domino Deo vestro, dignè reddideritis. Tria ergo sunt genera. In primo solo genere, nempe Pastorum, abundat ignis ille divini amoris, & flamma æternæ charitatis accenditur, quæ zelum animarum conservat & auget. In aliis vero duobus generibus, & ignis & flamma illa refrigit; ubi nimirum abundat iniquitas. Scitis proprietates singulorum. Bonus Pastor est, qui ponit animam suam pro ovibus suis. Mercenarius est, qui videt lupum venientem, & fugit. Fur est, qui maculat & occidit. Bonus Pastor non suam voluntatem facere, sed Domini Sui quærit utilitatem; ipsi soli servat fidem, ipsi laborat, ipsum honorat; ipsi quærit gloriam, non sibi. Mercenarius, videns lupum, fugit: Hic ergo quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; alioqui non fugeret, sed sua, imo & seipsum superimpenderet potius, quam gregem suum raptoribus exponeret. Multi certè sunt mercenarii, qui in prosperitate leviter discerni non possunt à bonis pastoribus: habent enim multa cum ipsis communia: habuerunt namque sanam electionem in ingressu, habent mundam conversationem in progressu, pacem Ecclesiæ amant & quærunt, utiliter ac viriliter Ecclesiasticis implicantur negotiis, non recusant onera, sed hoc ideo, quia ambiunt gloriam honoris: amant enim primos recubitus in cœnis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi; quærunt quæ sua sunt; qui, licet ad horam credant, in tempore tamen

Math. 23.

tenta-

Luca 8. tentationis recedunt; unde sunt amici mundi
 huius, & inimici Dei constituuntur: iterum,
 Iacob. 4. quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi;
 & si non quærunt quæ illius sunt, cum ipso
 non sunt; & qui cum eo non sunt, contra
 eum sunt; & qui contra eum sunt, inimici
 eius sunt: & hi per exteriora mentiuntur Deo
 de interioribus; cum enim sanè prædicent, &
 mundè vivant, cum tunc tamen non Deum sed
 mundum, non Deum sed seipso habeant in
 causa, mentiuntur potius Deo quam homini-
 bus. Et quid dicam de furibus? Furibus hæ-
 retici quidem à sanctis Patribus designantur,
 qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsicus
 autem sunt lupi rapaces; & quotquot vene-
 runt, fures sunt & latrones; fures latenter
 nocendo, latrones apertè sæviendo. Sed re-
 linquamus hos: neminem vestrum credo esse
 hæreticum: Omnes creditis in Deum trinum
 & unum, quia passus, & sepultus, descendit
 ad inferos, & ad coelos ascendit: Facit tamen
 Iacob. 2. hæc fides Catholicum? Hac fide utique &
 Diaboli essent Catholici, quia credunt & con-
 tremiscunt. Catholicum utique facit, non fi-
 des, communis dæmonibus & hominibus, sed
 ea tantum quæ communis est & hominibus &
 Angelis; videlicet quæ per dilectionem ope-
 ratur. hæc fide præditus erat Apostolus:
 Galat. 5. Dum tempus habemus, ait, operemur bonum
 Galat. 6. ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei,
 non sæculi. Habetis hanc fidem? Ergo non
 solum loquamini, sed & operemini bonum ad
 omnes. Faxit benignissimus Deus, ut fidem

veram Catholicam conservemus, quæ sine
 operibus mortua est, & nos mortui cum ipsa.
 Ah, Deus, auge nobis fidem, ut in Vicariis
 tuis per dilectionem operetur, quatenus ad
 imperium eorum de obsessis animabus dæmo-
 nes efferantur, ut de ipsis prius ejiciantur,
 quam cum ipsis projiciantur in ignem æter-
 num. Plura ad vos scribere modo prohibeor.
 Cætera, cum venero, disponam. Interim,
 fratres charissimi, servite Domino in timore,
 ut sine timore quoque, de manibus inimico-
 rum vestrorum liberati, serviatis illi: servite
 in spe, quia fidelis est in promissis: servite ex
 merito, quia multus in meritis est; nam si cæ-
 tera taceam, hoc solo certè, non immerito,
 sibi vindicat vitam nostram, quod pro ea præ-
 buit suam. Nemo ergo ex nobis sibi vivat,
 sed ei qui pro se mortuus est. Servite in cha-
 ritate illa, quæ timorem expellit, labores non
 sentit, meritum non intuetur, præmium non
 requirit, & tamen, ait S. Bernardus, plus
 omnibus urget.

Hæc vobis, fratres charissimi, denuo pa-
 terno affectu transcribo, ut munus Meum im-
 plem. Vos vestrum impleveritis, si ambuletis
 quisque vocatione suâ, qua vocatus est. Vos
 denique spiritu & corpore valere desidero.

Datum ex Residentia Nostra Episcopali,
 Ratisbonæ, die XXI Sept. anno MDC LIII,
 Episcopatum Nostrorum, Osnabrugensis vi-
 gesimo octavo, Ratisbonensis quinto, Min-
 denensis & Verdenensis vigesimo quarto.

Locus sigilli.

FRANCISCVS GVILIELMVS.

Hicce

Hicce Dominus Officialis, ex speciali Illustris-
sime Suae Celsitudinis mandato, seriam re-
prehensionem contra refractarios nonnullos, cum
variis comminationibus, subjunxit, ac deinde Do-
minus Promotor Aetuarium Synodi, super can-
scriptione Actorum Synodaliū, requisivit, sine
que Synodo imponi petiit; prout Domini Deputati
per Decretum imposuerunt, inceptoque per Succen-

torum Psalmo, Benedicite, &c. ad chorū ma-
joris Ecclesiae recesserunt; ubi deinde Dominus
Abbas caetera ex Pontificali Romano peregit; ac
Synodus cum benedictione, & indictione proximae,
ad feriam tertiam post Dominicam Oculi, que in-
cidit in decimam mensis Martii, anno MDC LIV,
hoc eodem loco habenda, dimissa fuit.

SYNODI DECIMAE FINIS.

